QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XVIII. NOVEMBRIS,

M. MARTINO AKAKIA, Doctore Medico, Præside.

857

Generatúrne lac in virginibus?



AC non ſanguinis ſpuma, non partium aluinarum adeps, vteri mole & conturbationibus in mammas expreſſus, ſed gratioſi benigniq; humoris ſuperfluum, cùm ex reliquis corporis partibus, tum maximè ex vtero in mammas per patentiſſimos hiatus refluum, deportatúmque. Vt ſingulari naturæ artificio conflatur; ita colore, odore, ſapore cæteris liquoribus etiam garo, ambroſiæ & nectari longè antecellit: vſu verò adeo neceſſarium vt non aliam ob cauſam triplici donatum fuiſſe ſubſtantiâ videatur, quàm vt noſtratis ſubſtantiæ triplex effluuium non minùs iucundè quàm certò reſarciat: ſolum ſanitatem, ſolum longæuitatem, ſolum immortalitatem poteſt conciliare, vt ſolum inter edulia ſucco reſtaurandis vitæ humanæ principijs accommodato & familiari abundat.



ED non vbique exſurgit tanti pretij liquor: nobiliores corporis noſtri partes in illius fabricam natura conuocat. Hepar puriores nectaris ſui riuos vndiquaque adaperit: Cor latentes in intimis ſui ſinubus ignes, quibus cuncta fouet recreátque, in lactis gratiam explanat. Cerebrum vi refrigerandi, qua plurimùm valet, & qua cordis æſtus ardoréſque regere ac moderari ſolet, ſanguinis calorem temperat, lacque placidiſſimi refrigerij dulcedine donat. Et ne inter principatus vllus maneat otioſus dum reliqui in lactis opificium conſpirant, ecce præſto adſunt teſtes, qui lacti admirandas dotes impertiuntur.



ERVMTAMEN fruſtra principum partium auxilio frueretur lac, ſine mammis, quas ideo natura vaſorum myriadibus intertexuit, & ex numeroſa glandularum ſerie vni majuſculæ circumjacentibus & annexis efformauit; vt in illis cunctatus diuturnáſve moras trahens ſanguis, depoſito tandem calore coloréve in alterius naturæ ſubſtantiam faceſſat: accedit & non mediocris emolumenti copia adipis, qui ſiquidem concoctionis & alimenti bonitate præditus eſt, & calore quem idoneè conſeruat, opus promouebit & pabuli opportunitate recreabit. Sed potiſſima hac in parte gloria debetur viciniæ cordis, à qua fit vt mammæ caloris rerum omnium ſatoris & ſeruatoris alacritate & efficacitate inſignitæ, lac facillimè conficiant, inde verà patet ejuſmodi ſitus cauſa; aliàs aut ad cordis tutelam, aut amoris blanditias adducere vel comminiſci eſt, vel calumniari.



T τῶν ἐπιμηνίων ἀδελφὰ τὰ γάλακτα, ita recta cum ratione ambobus vias communes natura expediuit, quibus alter in alterius ſedem commigraret; atque ita onuſtus copia ſanguinis vterus, oneris partè in mammas per venas etiam lippis & tonſoribus in ventre conſpicuas peropportunè propulſaret: mammæ vero lacte tumidæ turgentéſque commodiſſimè in ſubjectum vterum ſeſe exonerarent. Hinc fit vt creſcente incaleſcentéque ad locos circa pubertatis tempora ſemine, mammæ tumeant & attollantur, puellæque ipſæ dicantur κυαμίζειν, vnde certa non ſanitatis modò puellarum, verum etiam integritatis argumentà repetenda veniunt. Atque vt innoteſcat mutuas ſibi tradere operas rebus mulierum tam bonis quàm malis vterum & mammas, attrectatis quomodolibet mammis non tantùm ſopitus genitalium ignis excitatur accenditúrve: Sed & alterutrius affectus in alterutrum celerrimè tranſeunt.



TIARI neſcit natura, ſed opus cui alias à ſummo rerum parente deſtinata eſt, continuata ſerie & labore indefeſſo proſequitur, neque alio artifice, impulſore aut thaumaturgo ad illud obeundum indiget. Appellente igitur ad mammas ſanguine, & vi earumdem lactis generatrice incolumi manente, generari lac neceſſe eſt, in mulieribus, virginibus & viris: non ſecus ac in glandulis ad gulam poſitis, ſalivalis humor, in teſticulis ſemen; in hepate ſanguis enaſci ac couſurgere conſueuere.

Ergo generatur lac in virginibus.

Proponebat Lutetiæ IOANNES DE MONSTROEIL Pariſinus, Schol. Arch. A. R. S. H. M.DC.XXXVIII

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI

M. Claudius Chreſtien.
M. Gilbertus Puylon.
M. Victor Pallu.

M. Georgius Ioudouyn.
M. Hugo Chaſles.
M. Nicolaus Heliot.

M. Dionyſius Allain.
M. Lazarus Pena.
M. Iacobus Couſinot Med. & Prof. Reg. atque Delphinatis principis Medicus.